



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt XXVIII. Complutum monasterium, vulgò de Compludo, in Hispania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT. XXVIII.

*Complutum monasterium, vulgò de Compludo,
in Hispania.*

Situm est hoc monasterium in montibus de Rabonal circa Molina Secam in loco quem *Complutum* vocant: estque fundatum à S. *Fructuoso* Abbate S. Petri de monte, postea Archiepiscopo Bracarensi, in honorè SS. Iusti & Pastoris: approbantibus *Ciudafuindo* Rege & *Reciberga* Regina. Quorum quidem diplomata exstant in Ecclesia Asturicensi in libro priuilegiorum. Interfuit autem S. Fructuosus tamquam Archiepiscopus Bracarensis Concilio X. Toletano quod celebratum est Era 694, id est an. Christi 656. Idè S. Fructuosus ex hoc monasterio assumptus est, primò ad Episcopatum Dumiesem & postea ad Archiepiscopatum, vt dixi, Bracarensem: cuius sacrum corpus quiescit in Ecclesia metropolitana Compostellana S. Iacobi in Galizia, magna cum veneratione.

656.

Est in Hispania quoq; illustre monasterium Benedictinorum in *Monte Serrato*, Deiparæ cultu, ac miraculis celeberrimo. Distat septimo lapide à Barcinone, metropoli Catalauniæ, estq; fundatum per *Godefridum Pilsun*, primum Comitem Barcinonensem (qui floruit anno 890.) pro monialibus primùm benedictinis. Quæ cum in urbem Barcinonensem migrare essent iussæ, monasterio S. Petri ipsis tradito, monachi mox sunt substituti.

890.

CAP.